

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo CI

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

Etiam quoniam sunt christi plurimi laudatores. & ipsi in utroque falluntur, qui non secundum ueritatem dei sed potius secundum suam suspicionem dicunt eum fuisse hominem magum, christianos quippe uelut impios uituperant, christum autem uelut magum laudant, ac sic produnt quod amant. christum uero non amant. quoniam quod non erant christi hoc amant, ideo ergo in utroque falluntur, quia & magum esse malum est. & magus non fuit christus, quia bonus est; quapropter quoniam de his nihil hoc loco dicendum est qui christum uituperant atque blasphemant, quia de gloria eius loquimur quae est glorificatus in mundo. non eum glorificauit spiritus sanctus uera gloria nisi in ecclesia sancta catholica, alibi enim id est uel apud hereticos uel apud quosdam paganos uera eius in terris gloria non potest esse. & ubi uidetur esse frequens de illo fama cum laude uera; ergo eius gloria in ecclesia catholica sancta propheta cantatur. exaltate super caelos deus & super omnem terram gloriam tuam quia itaque post eius exaltationem uenturus erat spiritus sanctus & eum glorificaturus. hoc sacer psalmus. hoc ipse unigenitus promisit futurum. quod uidemus implendum. Quod autem ait. De meo accipiet & adnuntiabit uobis. Catholicis audite auribus. catholicis percipite mentibus; non enim propterea sicut quidam heretici putauerunt. minor est filius spiritus sancti. quasi filius accipit a patre. spiritus sanctus a filio quibusdam gradibus naturarum; absit hoc credere. absit hoc dicere. absit a christianis cordibus cogitare. Denique continuo soluit ipse quaestionem. & cur hoc dixerit explanauit; omnia inquit quaecumque habet pater mea sunt; propterea dixi. quia de meo accipiet & adnuntiabit uobis. quid uultis amplius? ergo de patre accipit spiritus sanctus unde accipit filius. quia in hac trinitate de patre natus est filius. de patre procedit spiritus sanctus. qui autem de nullo natus sit. de nullo procedat. pater est solus; quomodo autem dixerit unigenitus filius. omnia quae habet pater mea sunt. quia utique non sic quem admodum dictum est illi filio non unigenito sed ex duobus maior tunc mecum esse semper. & omnia mea tua sunt. eo loco si dominus uoluerit. diligenti consideratione tractabitur. ubi dicit unigenitus patri & mea omnia tua sunt & tua mea sunt. ut hic iste sermo laudatur. quoniam quae sequuntur. aliud poscunt quo differant exordium.

INCIPIT SERMO CI. DE EO QUOD DICIT. MODICUM ETIAM NON UIDEBITIS ME.

Haec domini uerba ubi ait. modicum etiam non uidebitis me quia uideo ad patrem. ita erant obscura discipulis antequam id quod dicit esset implendum. ut quaerentes inter se quid esset & quod diceret. omnino se

nescire faterentur; sequitur enim euangelium. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem; quid est hoc quod dicit nobis. modicum & non uidebitis me & iterum modicum & uidebitis me & quia uado ad patrem. Dicebant ergo; quid est hoc quod dicit modicum. nescimus quid loquitur; hoc enim est quod eos mouebat. quia dixit modicum & non uidebitis me & iterum modicum & uidebitis me; nam in praecedentibus quia non dixerat modicum. sed dixerat ad patrem uado & iam non uidebitis me. tamquam a parte illis uisus est loquutus. nec inter se de hoc aliquo quaesierunt; nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit. & mox manifestatum est. iam nobis utiq; manifestum est; post paululum enim passus est & non uiderunt eum. & rursus post paululum resurrexit & uiderunt eum; illud autem quod ait. iam non uidebitis me. quia isto uerbo id est iam hoc intelligi uoluit quod eum ulterius non uiderent. ibi exposuimus quomodo accipiendum sit ubi dixit. Deus tunc arguit mundum sp̄s sc̄i. quia ad patrem uado & iam non uidebitis me. quia scilicet mortalem xpm̄ ulterius non uiderent. Cognouit autem ih̄s sicut sequens euangelista dicit. quia uolebant eum interrogare & dixit eis. De hoc quaeritis inter uos. quia dixi modicum & non uidebitis me & iterum modicum & uidebitis me. Amen amen dico uobis. quia plorabitis & flebitis uos. mundus autem gaudebit. uos autem contristabimini. sed tristitia uestra in gaudium erit; & hoc sic accipi potest. quia contristati sunt discipuli de morte dñi. & confestim de resurrectione laetati; mundus autem quo nomine significati sunt inimici a quibus xps̄ occisus est. Tunc utiq; laetati sunt occiso xpō quando sunt discipuli contristati; mundi quippe nomine malitia potest mundi huius intelligi. id est hominum mundi huius amicorum; unde iacobus apostolus in epistola sua dicit. quicumq; uoluerit amicus saeculi esse huius. inimicus dī constituitur; quibus inimicitias dī factum est. ut nec eius unigenito parceretur. Deinde subiungit & dicit. Mulier cum parit. tristitiam habet. quia uenit hora eius; cum autem pepererit puerum. iam non meminit praesurae propter gaudium quia natus est homo in mundo; et uos igitur nunc quidem tristitiam habebitis. iterum autem uenio ad uos & gaudebit cor uestrum. & gaudium uestrum nemo tollat a uobis; nec ista similitudo ad intelligendum uidetur esse difficilis. quoniam comparatio eius in promptu est. eodem ipso exponente cur dicta sit; parturitio quippe tristitiae. partus autem gaudio comparatur; quod tunc maus esse consuevit. quando non puella sed puer nascitur;

quod uero ait. Gaudium uestrum nemo tollat a uobis. quia gaudium eorum
 est ipse ih̄s. significatum est quod ait apostolus. x̄p̄s surgens a mortuis iā
 non moritur & morsei ultra non dominabitur. huc usq. in isto euangelii ca-
 pitulo hodie disputamus. uelut facili intellectui omnia cucurrerunt; acri-
 or necessaria est in his quae sequuntur intentio; quid est enim quod ait.
 - & in illo die me non rogabitis quicquam. hoc uerbum quod est rogare. non
 solum p̄ se. uerum & iam interrogare significat; & q̄ tecum euangelium
 unde hoc translatum est. tale habet uerbum quod utrumq. possit intellē-
 gi. ut haec ambiguitas nec inde soluat. quamquam & si solueretur. non
 ideo nulla quaestio remaneret. Dm̄ enim x̄p̄m postea quam resurrex̄.
 & interrogatum legimus & rogatum; nam interrogatus est a discipulis
 ascensurus in caelum. quando praesentatur & quando regnum esset isrl̄.
 Cum uero iam esset in caelo. rogatus est asc̄o stephano ut sp̄m eius ac-
 ciperet; & quis audeat uel cogitare. uel dicere in caelo sedentem x̄p̄m ro-
 gandum non esse. & in terra manentem rogatum fuisse. rogandum non
 esse in mortalem. rogari debuisse mortalem. Immo karissimi rogemus eū.
 ut non dum quaestionis huius ipse dissoluat lucendo in cordibus nostris
 ad uidentia quae dicit; puto enim quod ait. iterum autem uidebo uos &
 gaudebit cor uestrum. & gaudium uestrum nemo tollat a uobis. Non ad illud
 tempus esse referendum quo resurrexit. eisq. suam carnem cernendam.
 tangendamq. monstrauit. sed potius ad illud unde iam dixerat. Qui diligit
 me diligitur a patre meo. & ego diligam eum & manifestabo me ipsum illi.
 Jam quippe resurrexerat. iam se illis in carne monstrauerat. iam sedebat
 ad dexteram patris quando dicebat idem ipse apostolus iohannes. cuius &
 hoc euangelium est in epistola sua. Dilectissimi nunc filii dī sumus. & non
 dum manifestatum est quod erimus. scimus quia cum manifestatum fu-
 erit. similes ei erimus q̄m̄ uidebimus eum sicuti est. est ista uisio. non
 uitae huius. sed futurae; non temporalis sed aeterna; haec est autem uita
 aeterna dicente ipsa uita. ut cognoscate inquit. unum uerum d̄m̄ & quem
 misisti ih̄m x̄p̄m. De hac uisione & cognitione dicit apostolus; uidemus
 nunc per speculum in enigmate. tunc autem facie ad faciem; nunc scio ex
 parte. tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum; hunc totius laboris sui
 fructum ecclesia nunc parturit desiderando. tunc est partura cernendo.
 parturit gemendo. & ideo masculinum. q̄m̄ ad istum contemplationis cunc-
 ta officia referuntur actionis; solus enim est liber. quia propter se appē-
 tur. non referatur ad aliud huic seruit actio; ad hunc enim referatur quid
 quid bene agitur. quia propter hunc agitur; ipse autem non propter aliud

sed propter se ipsum tenetur & habetur; ibi ergo finis qui sufficit nobis aeternus ~~igitur~~ erit; neque enim nobis sufficit finis. nisi cuius nullus est finis; hoc inspiratum erat philippo quando dixit. ostendo nobis patrem & sufficit nobis; in qua ostensione se promisit & filius dicens. Non credis quia ego in patre & pater in me est. De hoc itaque quod sufficit nobis. rectissime audimus. Gaudium uestrum nemo tollat a uobis. De hoc etiam quae superius dicta sunt. melius existimo intellegi. modicum etiam non uidebitis me & iterum modicum & uidebitis me; modicum est enim hoc totum spatium quo praesens per uolat saeculum. unde dicit idem ipse euangelista in epistola sua. nouissima hora est; ideo namque addidit. quia uado ad patrem. quod ad priorum sententiam referendum est ubi ait. modicum etiam non uidebitis me. non ad posteriorem ubi ait. & iterum modicum & uidebitis me; eundo quippe ad patrem facturum erat ut non eum uiderent. ac per hoc non ideo dictum est. quia fuerat mortuus & donec resurgeret ab eorum aspectibus recessurus. sed quod esset iturus ad patrem. quod fecit postea quam resurrexit & cum eis postea xl dies conuersatus ascendit in caelum; illis ergo ait. modicum etiam non uidebitis me. quia eum corporaliter tunc uidebant quia iturus erat ad patrem. & eum deinceps mortalem uisuri non erant. qualem cum ista loqueretur uidebant; quod uero addidit. & iterum modicum & uidebitis me. uniuersae promisit ecclesiae. sicut uniuersae promisit. ecce ego uobiscum sum usque in consummationem saeculi. Non tardat dominus promissum. modicum & uidebitis eum. ubi iam nihil rogemus. nihil interrogemus. quia nihil desiderandum remanebit. nihil quaerendum latebit; hoc modicum longum nobis uidebitur. quoniam adhuc agitur. cum finitum fuerit. tunc sentimus quam modicum fuerit. Nunc ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus. de quo dictum est. mundus autem gaudebit; nec tamen in huius desiderii parturitione gaudio tristes simus. sed sicut ait apostolus. spe gaudentes in tribulatione patientes. quia & ipsa parturiens cui comparati sumus. plus gaudet de mox futura prole. quam tristis est de praesenti dolore; sed huius sermonis iste sit finis; habent enim quaestionem molestissimam quae sequuntur. nec breuitate coartanda sunt. ut possint commodius si dominus uoluerit explicari.

INCIPIT SERMO. CII. DE EO QUOD DICIT AMEN AMEN DICO UOBIS SI QUID PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO DABIT UOBIS. USQUE AD IO. ITERUM RELINQUO MUNDUM ET UADO AD PATREM.

Domi uerba nunc ista tractanda sunt. Amen amen dico uobis. si quid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis; iam dictum est in superius